



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Approbatio Reverendi Domini Joannis Le Beau Examinatoris Synodalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infra scripti, ex Commissione Reverendissimi Patris Generalis, magna cum attentione, parique animi oblectatione perlegimus Opus inscriptum: *Theologia Sanctorum circa universam morum doctrinam*, &c. per Reverendum admodum Patrem Henricum à sancto Ignatio Ordinis Fratrum B. V. M. de Monte Carmelo Exprovincialem, nuper Commissarium Generalem, S. Theologiae Professorem emeritum, &c. in eoque nihil reperimus à fide & bonis moribus devium; sed doctrinam Catholicæ Religionis, tutissimorum Augustini & Aquinatis dogmatum veritati, Christianique hominis sanctitati & dignitati consentaneam, utpote depromptam ex sacre Scripturæ oraculis, sanctorumque Patrum sententiis, quas Author omnigenâ eruditione, copioso solidarum rationum agmine, mirâque terminorum claritate sic illustrat, ut omnis Amator veritatis hic inventurus sit plurima ad excitandum pietatis studium, plurima ad bonos mores promovendos, plurima ad Concionatorum, Confessoriorum & Pastorum instructionem maximè utilia. Quapropter Opus hoc laude luceque dignum (salvo meliori) censuimus in Carmelo nostro Xhaviensi die 8. Junii an. 1707.

FR. MARCELLINUS A S. THERESIA,
Definitor, ac S. Th. Professor.

FR. HENRICUS A S. THERESIA,
S. Theol. Professor.

Approbatio sapientissimi Domini Arnoldi Eyben, Cathedralis Ecclesie Antuerpiensis Canonici Theologalis, & Thesaurarii, Archipresbyteri Ruralis, ac Laborum Censoris.

Chrisitanis præcipit S. Joannes Epist. 1. c. 2. ut in eo, quod audierunt, firmi permaneant, quo & ipsi in Patre, & Pater in ipsis maneat. Communis hic Prophetarum & Apostolorum sensus est, qui in veteri & novo Testamento nihil severius vetant, quàm ne ab antiquis viis recedamus, transcendisque Patrum limitibus patiamur nos doctrinis variis & peregrinis obduci, ac profanis vocum novitatibus captari. Hinc Theologia ad illud lumen applicare se debet, quod à Christo Ecclesie collatum, perpetuâ Patrum traditione continetur, iisque doctrinæ & pietatis christianæ fundamentis insistere, quæ à sanctis Patribus quasi manu tradita per tot ætatum decursus Ecclesia accepit, sicut ea Patrum Antiquissimi ab Apostolis, Apostoli à Spiritu sancto, Spiritus sanctus à Filio, Filius à Patre acceperat. Hæc regulâ semper est usâ Ecclesia ad corruptelas erroresque ac nova humani ingenii commenta extirpanda, quibus hominum improbitas vel insectia sanctissimam Christi doctrinam depravare conata est. Hæc S. Augustinus Pelagianos convincit, cum productis contra eos aliquot Patribus, quod, inquit, *invenimus in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Hujus regulæ præsidio utitur Gregorius VII. dum ait: *Ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostrâ statuente: sed primam & unicam Ecclesiasticæ discipline regulam & iram Sanctorum viam relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus.* Nam, teste Gregorio Magno, tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indefinenter insuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat. Proinde publicam lucem meretur, & plurimum commendanda est hæc *Theologia Sanctorum*, quæ ex sanctis Doctoribus, ac præsertim ex tutissimis & inconcussis sanctorum Augustini & Thomæ dogmatibus præclare ostendit, qualem esse oporteat vitam christianam, quàmque ab Evangelii regulis, & doctrina Sanctorum aberret novitia doctrina complurium Casuistarum. Dabam Antuerpiæ hæc 28. Januarii 1709.

ARNOLDUS EYBEN, Cathed. Antuerpiensis Canonicus
Theologalis, Librorum Censor.

Approbatio Reverendi Domini Joannis Le Beau Examinatoris Synodalis.

Hæc *Theologia Sanctorum* secundum nominis excellentiam procedit, dum exhibitas à Sanctis veritates, & velut stellas in Ecclesie Firmamento postas, educit è nebulis, quas variæ Quorundam opiniones obtenderunt. Hinc in caliginoso deficientis hujus sæculi tempore, eidem tamquam lucernæ benè facient attendentes, studiosi quicumque veritatis Amantes, atque spes est quod non tantum inde lucebunt, sed & sic ardebunt, ut flammescat igne charitas, accendat ardor proximos, eosque per semitas justitiæ deducat ad æternæ Veritatis fruitionem. Proinde sub beneplacito Superiorum, jure prodibit in publicum. Dabam 16. Octobris 1699.

JOAN. LE BEAU, S. Adalberti Leodii
Curio-Decanus, Exam. Synod.

Permissio Ordinarii.

Placet imprimatur. Hæc decimâ septimâ Octobris 1699.

GUIL. BERN. DE HINNISDARL,
Coadministr. & Vic. Gen. Leod.

ADMO.